

ratem inter personam satisfaciendam, & illam cui fit satisfactio, sed sufficere aequalitatem in jure proprietates, ut supra dicebamus. Licet autem Christus, in quantum homo, non sit aequalis Deo in jure proprietatis, bene tamen in quantum suppositum divinum; sub hac enim ratione habet aequale jus in suas operationes, ac ipse Deus.

145 Obijcies secundo: Christus non erat obligatus ex justitia ad satisfaciendum Deo pro offensis hominum: Ergo satisfactio Christi non fuit actus justitiae commutativae. Consequenter videtur manifesta; si enim aliquis non tenetur alteri satisfacere, hujusmodi satisfactio non erit actus justitiae, sed benevolentiae & caritatis: Ergo idem dicendum erit de satisfactioe Christi, si ad illam non sit obligatus ex justitia. Antecedens vero probatur: Ex nullo alio capite Christus tenebatur pro peccatis hominum mori & satisfacere, nisi quia praecipitur moriendi acceperat, juxta illud Joann. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic feci: Atqui tale mandatum non obligat illum ex justitia, sed ex obedientia, & caritate: Ergo Christus non erat obligatus ex justitia ad satisfaciendum Deo pro peccatis hominum, ac proinde ex sola caritate & misericordia pro peccatis humani generis satisfecit, & ut dicitur Isaie 53. Oblatus est, quia ipse voluit.

146 Respondeo negando Antecedens, licet enim Christus absolute non esset obligatus ex justitia ad satisfaciendum Deo pro peccatis generis humani, nihilominus quatenus erat capax hominum, & quantum se praestiterat vadem & fidejussorem pro illis, tenebatur ex justitia satisfacere; & quia ut supra diximus, quando debitor principalis est insolubilis, ille qui se praestitit vadem pro illo, obligatur ex justitia ad satisfaciendum & solvendum: nihilominus quia Christus ex infinita caritate & misericordia talem obligationem & debitum in se suscepit, Propheta dicit, Oblatus est, quia ipse voluit.

147 Instabis, Fidejussor non majorem in se suscepit obligationem, quam habet debitor principalis: Sed homo, qui erat debitor principalis, non tenebatur ex justitia satisfacere: Ergo nec Christus. Major est certa, Minor probatur: Obligatio satisfaciendi ex justitia, ortum non habet nisi ex justitia violata: ubi enim justitia violata non est, ipsa justitia non exigit nec praecipit compensationem: Sed homines peccando non violant semper justitiam specialem & proprie dictam; alias enim in quolibet peccato duae deformitates reperirentur, v. gr. in actu intemperantiae, deformitas intemperantiae, & propterea deformitas justitiae specialis, quae diversae deformitates constituerent talem actum inter diversam speciem peccati, & sic tenerentur homines se accusare in confessione de duplici illa deformitate & malitia: Ergo &c.

148 Respondeo distinguendo Minorem: Homo non tenebatur ex justitia satisfacere, per se, nego Minorem. Per accidens, & ob impotentiam exhibendi satisfactionem condignam & aequalem, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Ad justitiam commutativam pertinet reddere aequale, non solum pro rebus exterioribus injuste acceptis, sed etiam pro injuriis illatis. Dupliciter autem potest contingere quod aliquis non obligetur ex justitia commutativa ad exhibendum alteri condignam satisfactionem: Primo per se & ob defectum obligationis; quo pacto superior & dominus non tenetur exhibere satisfactionem inferioribus & subditis. Secundo potest aliquis eximi ab obligatione satisfaciendi ad aequalitatem, & per accidens, ratione scilicet impotentiae faciendi perfectam aequalitatem; nemo enim tenetur ad impossibile. Unde cum nullus homo possit Deo satisfacere ad aequalitatem pro beneficiis acceptis, vel pro injuriis illatis, per accidens non tenetur ex justitia commutativa Deo satisfacere ad aequalitatem, sive pro peccatis commissis, sive pro beneficiis acceptis. Verumtamen quia aliunde tenetur homo facere saltem quod potest, ponitur in eo virtus religionis, & virtus poenitentiae, per quas Deo aliquo modo satisfacitur, saltem imperfecte, pro beneficiis acceptis, & pro injuriis illatis. In Christo vero hoc non habet locum, quia poterat exhibere Deo aequalem & condignam satisfactionem pro peccatis hominum, quorum vadem ac fidejussorem se praestiterat: unde ex rigorosa justitia obligatus erat ad exhibendum Deo talem satisfactionem.

149 Ad id vero quod subjungitur, nimirum quod obligatio satisfaciendi ex justitia, ortum non habet nisi ex justitia violata &c. negandum est quod homines peccando non violant justitiam proprie dictam: in quolibet enim peccato, v. g. intemperantiae, involvitur duplex deformitas; una contra virtutem temperantiae, ratione conversionis ad objectum contrarium rationi, & honestati virtutis temperantiae; & haec deformitas constituit rationem specificam talis actus peccaminosi: altero vero injustitiae, quae est generalis, & communis omnibus peccatis, quia per quodlibet peccatum mortale auferitur a Deo ratio ultimi finis, secundum affectum, & ponitur in creatura, cui Deus postponitur, quod est actus maxime injustitiae. Nec propterea quodlibet peccatum, ratione illius duplicis deformitatis, conti-

nuitur in duplici specie; quia ut diximus in Tractatu de peccatis, illa deformitates, quae sunt conditiones generales omnium peccatorum, non constitunt actum peccaminosum in diversa specie peccati, nisi quando per se & veluti directe intenduntur a peccante. Sicut conditio generalis inobedientiae, quae involvitur in transgressione cujuslibet praecipiti, non constituit speciale peccatum inobedientiae, nisi quando per se intenditur, & quando ex contemptu praecipiti, vel praecipiti, homo illud transgreditur: ideoque poenitentes non tenentur se accusare, in confessione de illa deformitate injustitiae, vel inobedientiae, in quolibet peccato involuta & contenta.

150 Obijcies tertio: In anima Christi non reperitur justitia commutativa: Ergo satisfactio Christi non potest esse actus talis virtutis. Consequenter patet, Antecedens probatur. Unio humanitatis ad Verbum non reddit animam Christi, ejusque potentias capaces alicujus virtutis in se, cujus alii homines non sint capaces: Sed alii homines non sunt capaces justitiae commutativae in ordine ad Deum, ut committere docent nostri Thomistae, afferentes non dari justitiam commutativam hominis ad Deum: Ergo nec anima Christi. Major probatur: Per talem unionem non est aucta potentia obedientialis animae Christi ad gratiam, ratione cujus recipiatur virtutes a gratia habituali emanantes: Ergo per illam anima Christi non fuit reddita capax alicujus virtutis, cujus ceteri homines capaces non sint. Adde etiam subiectum immediatum virtutum in Christo, non esse suppositum divinum, sed potentias animae rationalis, quae in Christo & in aliis hominibus sunt ejusdem speciei.

Confirmatur: Gratia Christi in esse physico considerata, & quatenus ex ea procedunt virtutes in se, est profus ejusdem speciei cum gratia creaturae hominum: Ergo non potest in Christo esse radix alicujus virtutis, quam non possit producere in aliis hominibus; subindeque si in nobis non possit esse justitia commutativa in ordine ad Deum, nec in Christo reperiri poterit.

151 Ad objectionem respondeo, negando Antecedens: ad cuius probationem, nego Majorem. Ad probationem illius, concessio Antecedente, nego Consequentiam. Licet enim non fuerit aucta potentia obedientialis animae Christi, fuit tamen apposta quaedam conditio, ratione cujus anima Christi fuit capax justitiae commutativae, scilicet aequalitatis perfecta in compensatione injuriae Deo illatae, delectu cujus purus homo est incapax talis virtutis.

Ad id vero quod subjungitur, dicendum est, quod licet potentia animae Christi sint subiectum quo & immediatum virtutum, subiectum tamen quo & principale, est ipsum suppositum: unde cum suppositum Christi esset infinita dignitatis, & posset influere infinitum valorem in ejus operationes meritorias & satisfactorias, in eo potuit esse virtus justitiae commutativae, quae in aliis hominibus reperiri nequit, cum nullum suppositum creatum, in actus a se elicitos valorem infinitum inducere possit, nec per consequens pro offensis propriis vel alienis, ad aequalitatem Deo satisfacere, quod tamen requiritur ad justitiam commutativam, ut ex supra dictis patet.

152 Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: licet enim gratia, in esse physico considerata, sit ejusdem speciei in Christo & in aliis hominibus: potest tamen in Christo esse radix alicujus virtutis, quam non potest producere in aliis hominibus. Ratio est, quia gratia, cum sit forma quaedam accidentaliter, perficit subiectum in quo recipitur, juxta modum & capacitatem illius, unde pro diversitate subiectorum, diversas producit virtutes: Nam in Angelis non producit virtutes moderatissimas passionum, sicut in hominibus; quia Angeli, cum creantur passionibus, non sunt capaces illarum virtutum. In nobis producit poenitentiam, non vero in Christo, quia cum esset ab intrinseco impeccabilis, erat incapax talis virtutis. In viatoribus causat fidem & spem, in comprehensivis lumen gloriae, & visionem beatam. In conjugibus castitatem conjugalem, in perpetuo continentibus virginitatem. Denique sicut aqua (inquit Chryostomus) cum variis sit speciebus, vario modo operatur, dealbans in lino, rubrificans in rosa, purpurissima in viola. Ita gratia, licet una & simplex qualitas sit, varios tamen juxta diversam subiectorum in quibus recipitur dispositionem, seu capacitatem, operatur effectus; & in Christo producit justitiam commutativam, non vero in aliis hominibus. Nec mirum, sicut enim Christo non conferbat alicuius effectum secundarium, quem causat in aliis hominibus, nimirum filiationem adoptivam, quia Christus, cum esset Filius Dei naturalis, erat incapax adoptionis: ita & eadem gratia potest in illo esse radix alicujus virtutis, quam non potest producere in aliis hominibus, ob illorum incapacitatem. Ex his

154 Inferes primo; quod si humanitas Christi relinqueretur a Verbo, amitteret justitiam commutativam ad Deum, sicut tunc eo ipso talis homo fieret Filius Dei adoptivus, quia in tali casu humanitas Christi esset quidem incapax justitiae commutativae ad Deum, eo quod non posset esse principium satisfactiois in se, sed fieret capax filia-

filiationis adoptivae, quia ille homo Filius Dei naturalis esse desineret.

155 Inferes secundo, justitiam commutativam Christi & nostram esse diversae rationis & speciei, quia habent actus & objecta diversae rationis: actus enim nostrae justitiae commutativae, ex Aristotele 3. Ethic. cap. 2. est actio humana constituens perfectam qualitatem inter hominem & hominem: actus vero justitiae commutativae Christi est actio Theandrica constituens perfectam aequalitatem inter Deum offensum, & humanum genus offendens; unde haec justitia pertinet ad ordinem hypostaticum, & soli personae divinae in natura assumpta competere potest; nostra vero spectat ad ordinem naturae, vel gratiae. Item objectum justitiae Christi est jus divinum, nostrae humanum, quae jura sunt diversissimae rationis. Denique justitia nostra commutativa, habet tantum rationem justitiae: justitia vero commutativa Christi ita in se habet rationem formalem justitiae, ut etiam eminenter contineat rationem misericordiae, magnificentiae, & religionis. Ita enim reddit aequale Deo pro offensis, in quo consistit ratio justitiae, quod etiam reddat superabundans, in quo consistit virtus magnificentiae, & haec ratio non potest ab alia separari, quia implicat Deo reddi aequale pro offensis, nisi etiam reddatur superabundans, sola enim satisfactio postquam divini potest esse aequalis offensae, & haec necessario est superabundans & excedens. Similiter justitia commutativa Christi continet eminenter rationem misericordiae, quia non potest suppositum divinum, cum sit impeccabile, reddere Deo aequale pro offensis propriis, sed tantum pro alienis. Continet etiam eminenter virtutem religionis, quia suppositum divinum non potest reddere Deo aequale pro offensis, nisi exhibendo actum valoris simpliciter infiniti, atque adeo nisi etiam reddatur aequale Deo pro ipsius excellentia & beneficiis ab eo collatis. Ergo justitia commutativa Christi, ita in se habet formaliter rationem justitiae, quod eminenter contineat virtutem magnificentiae, misericordiae, & religionis. Et per hoc maxime commendatur excellentia talis justitiae, utpote quae maxime accedat ad perfectionem eminentialem divinum attributorum.

DISPUTATIO V.

De motivo Incarnationis.

Ad Articulum 3. & 4. D. Thomae.

Explicata Incarnationis possibilitate, convenientia, & necessitate, consequens est ut causam illius motum investigemus; & finem propter quem a Deo facta est declaramus, de quo agit S. Doctor art. 3. & 4. hujus questionis.

ARTICULUS PRIMUS.

An Deus, ex vi decreti quod habuit, carnem sumpsisset, Adamo non peccante.

1 Certum est, Deum potuisse carnem assumere etiam si Adam non peccasset, cum Incarnatio cum peccato essentialiter nexum non habeat: unde solum difficultas est de eo quod fuisset de facto, si Adam non peccasset. Dixi vero ex vi decreti quod Deus habuit, nam utrum si homo non peccasset, habuisset Deus aliud decretum assumendi carnem, non propter remedium peccati, sed propter alia motiva, res est omnino incerta & dubia, cum hoc non possit colligi ex Scriptura, per quam solum nobis innoscitur quae ex sola Dei voluntate dependet. Unde D. Thomas 1. Timoth. 1. lect. 4. Deus omnimode scindas, secundum quod res scindere erant, & nescimus quid ordinasset, si non praesensisset peccatum. Solum ergo difficultas est, an ex vi praesentis decreti, Verbum carnis assumeret, Adamo non peccante, quod idem est ac inquirere, an deus in Deo decretum aliquod efficax mitteret Verbum in carne, non connexum cum peccato, vel omne decretum efficax quod de Incarnatione datur in Deo, sit cum peccato connexum? Si enim hoc secundum dicitur non venire Christus ex vi praesentis decreti, Adamo non peccante, si vero afferatur primum, veniret peccato Adamo non existente. Hoc praemisso in hujus difficultatis celebri resolutione duae versantur oppositae sententiae: Altera est negativa, quam amplectuntur Thomistae cum Angelico Praeceptore hic art. 3. & ex Patribus Societatis Vasquez, Valenta, Lessius, Delugo, Theophilus Raynaudus, Amicus, Petayius, & alii: Altera affirmativa, quam tenent Scotus & ejus discipuli, qui docent Incarnationem fuisse a Deo efficaciter volitam duplici decreto, altero terminato ad substantiam Incarnationis, altero terminato ad circumstantiam passibilitatis; primumque dependens fuisse a futuritione peccati

Theol. Gener. Temp. IV.

& previsionem illius; secundum vero fuisse a peccato dependens, ac proinde venturum Christum ex vi primi decreti, Adamo non peccante, non quidem in carne passibili, sed in impassibili, Suarez vero, Vambertus, Martinus, alique ex Recentioribus, licet cum Scoto conveniant in hoc decreto statuendo, ab illo tamen dissentiant, in eo quod Scotus asserit remedium peccati non fuisse motivum substantiae Incarnationis ex vi primi decreti, sed solum circumstantiae passibilitatis: Suarez autem est substantiam Incarnationis ex vi primi decreti volitam esse docet ob excellentiam mysterii, tamquam motivum sufficiens, asserit tamen ex vi secundi decreti volitam fuisse non solum circumstantiam, sed etiam substantiam Incarnationis, ob remedium peccati, tamquam motivum sufficiens, ut sic salvet Verbum Incarnatum fuisse propter nostram salutem; nec inconveniens reputat eundem effectum a duplici causa adequata finali procedere.

§. I.

Conclusio negativa statuitur, & ratione D. Thomae fundatur.

1 Deo igitur ex vi praesentis decreti, Verbum Divinum carnem humanam non assumpsisset, si homo non peccasset.

Probatur conclusio ratione D. Thomae hic art. 3. ad hanc formam redacta: Decretum Incarnationis, cum sit supra naturae debitum, non nisi per revelationem nobis innotescere potest: At quotiescunque Scriptura Sacra, Concilia, vel SS. Patres quibus Deus suam voluntatem revelavit, de hujusmodi decreto faciunt mentionem, illam ejus causam motivam non assignant, quam liberationem a peccato, seu redemptionem hominis a servitute peccati: Ergo ex vi decreti quod Deus habuit de facto, Verbum carnis non assumpsisset, Adamo non peccante. Major est certissima, unde tota difficultas devolvitur ad Minorem, quae quoad singulas partes probatur.

1 In primis ergo plura extant Scripturae testimonia, quibus aperte significatur, Deum non venisse in mundum per Incarnationem, nisi ut peccatores salvos faceret: Math. 18. & Luca 19. Venit filius hominis quare & saluum facere quos perierat. 1. ad Timoth. 1. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hanc mundum peccatores salvos facere. Luca 5. Non venit qui sani sunt melior, sed qui male habent; non venit vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam: quod est idem ac si diceret, non venissem nisi egroti opus habuissent medico, seu totum humanum genus egrotis redempturum. Denique Joann. 3. Christus dicebat: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Eadem etiam & non alia assignatur ratio a Conciliis, & praecipue a Nicano in Symbolo fidei, ubi dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, & homo factus est.

Accedunt testimonia SS. Patrum: Irenaeus enim lib. 5. 5. adversus haereses cap. 4. sic ait, si non haberet carnem salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Athanasius orat. 3. contra Arianos: Quod autem Filius Dei homo factus est, nunquam accidisset, nisi hominum necessitas causam praebuisset. Nazianzenus orat. 36. Quoniam humana propter nos suscepta natura causa exitus? Dicitur ut nos omnes salutem adipisceremur, Quid enim aliud affertur propter? Cyrillus Alexandrinus dialog. 5. de Trinit. circa medium: Si non peccavissimus, neque saluus essemus, nullus filius Dei. Ambrosius lib. de Incarnationis Domine sacramento cap. 6. Quae erat causa incarnationis, nisi ne caro quae peccaverat redimeretur? Augustinus ferm. 8. de verbis Domini, si homo non peccasset, filius hominis non venisset. Et ferm. sequenti: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicina causa. Item in oratione ad B. Virginem, sic eam alloquitur: Ut quid visum peccati pro peccatoribus pareres, si desset qui peccasset, aut quid mater fieres Salvatoris, si nulla esset indigentia salutis? Leo Papa Sermon. 3. de Pentecoste. Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in sua honore permansisset, nec diaboli fraude acceptus, a lege sibi postea per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non foret; neque aut scripturas temporalitatem subiret, aut aequalis Deo Patri Filius, formam servi & similitudinem carnis peccati assumeret. Petrus Cellensis Abbas in lib. de panibus: Non inclinaret caelos parvus virginis, si potum prohiberem non contingeret. Eva, caelis temerarius. Denique Abbas Rupertus de operibus Spiritus Sancti cap. 6. Christus alloquens: Ex similitudine (inquit) nullum tibi debemus nos Deum Christe, quia homo factus es: At tu contra nullum ubi debet homo Christe, qui propter nos in Deum assumptus es: nam nisi fuisset peccatorum, causa cur tu assumi in Deum deberet, nulla fuisset.

set, &c. nisi precesserit servit, nec assumpta fuisse in Dominum Deum natura servilis.

6. Huius rationi D. Thomae duas adhibent responsiones adversarij. Aliqui enim in primis dicunt Scripturam, & SS. Patres, non assignare quidem aliam rationem incarnationis, quam reparationem generis humani, sive remedium peccati, sed ex hoc non sequi eam esse solam, aut etiam precipuam, quia ex auctoritate negativa nihil concluditur.

7. Verum haec responsio nullius est momenti; cum enim de illis que ex sola Dei voluntate dependent, non possumus aliam habere notitiam, nec aliter sentire, quam secundum quod in Sacra Scriptura traduntur; & ex sola Dei voluntate pendeat ordinatio incarnationem ad hunc aut illum finem, bene sequitur quod si non alia assignatur illius ratio a Scriptura & SS. Patribus, praeter generis humani reparationem, non aliam quoque nos assignare possumus.

8. Adde quod in rebus magni momenti, optimum est argumentum ex auctoritate negativa Sacrae Scripturae; unde quia Scriptura Sacra ubi loquitur de mundi creatione, unius tantum mundi facit mentionem, per legitimam consequentiam deducimus tantum unum mundum. Similiter quia facit tantum mentionem de incarnatione secunde personae Trinitatis, credimus eam tantum fuisse incarnatam. Item quia tres solae personae in Deo nominantur, nusquam vero quatuor, tres tantum esse personas in Deo, ut certissimum fidei dogma recipitur.

9. Adde etiam quod aliqui ex SS. Patribus iam citatis, non solum dicunt Verbum fuisse incarnatum, ob reparationem generis humani, sed insuper etiam asserunt, quod non fuisse incarnatum, peccato non existentem; & sic haec solutio aequum testimonio applicari nequit.

10. Secundo respondent Scoti Discipuli, Scripturam, Concilia, & SS. Patres, locis citatis, assignare solum rationem incarnationis quoad modum, non autem quoad substantiam; quia scilicet facta est in carne passibili, propter remedium peccati, non autem absolute quoad substantiam; unde dicitur quod si Adam non peccasset, verbum non fuisse quidem incarnatum in passibili & mortali, absolute tamen, & quoad substantiam, incarnatum fuisse.

11. Sed haec responsio, quae est azyllum ordinarij Adversarij, facile potest convelli. Primo quia SS. Patres non dicunt quod Deus propter nos factus est passibilis, humanitate assumpta, sed asserunt quod propter nos factus est homo. Neque dicunt propter nos tantum eam addidisse passibilem, sed asserunt absolute propter nos assumpsisse ipsam naturam humanam.

12. Secundo SS. Patres locis citatis asserunt, quod nisi homines indignissimum redemptione. Verbum non esset homo, nec fieret creatura: Sed hoc non potuissent asserere absolute, si non existerent peccato Verbum fuisse incarnatum absolute & quoad substantiam, licet non in carne passibili; quia homo impassibilis est vere & proprie homo, & creatura impassibilis, ut Angeli, sunt aequae proprie creaturae, ac passibiles. Ergo haec solutio menti Sanctorum Patrum non congruit.

13. Tertio sequitur ex hac solutione improprie dici in Symbolo, Verbum Divinum propter nostram salutem descendisse de caelis: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur. Idem est Verbum propter nostram salutem descendisse de caelis, & fuisse carnem factum propter nostram salutem: At improprie affirmatur assumpsisse carnem propter nostram salutem, si nostra salus non fuit ratio aut motivum incarnationis quoad substantiam, sed solum quoad modum, seu circumstantiam passibilitatis: Ergo nec proprie salvatur ipsum propter nostram salutem descendisse de caelis.

14. Quarto contra hanc solutionem bene argumentatur Valquez hic disp. 10. cap. 4. ubi sic dicitur. Id quod potest fieri duobus modis ex eo quod uno ex illis non fiat, non dicitur absolute non fieri, cum absoluta negatio omnem modum excludat: Ergo si Adam non peccante Christus veniret, licet in carne impassibili, falsa esset absoluta Patrum locutio asserentium non venturum Christum, Adamo non peccante.

15. Confirmatur & magis illustratur hic discursus isto exemplo. Sicut qui dicit Regem v. g. hodie non venturum in istam civitatem, non tantum asserit ipsum non venturum hoc vel illo modo determinato, videlicet armatum, vel non armatum in curru, vel extra curru; sed absolute, sive quod nullo modo veniet: quia nimirum negatio est adeo, ut vulgo dicitur, malignantis naturae, ut totum destruat. Ita similiter SS. Patres qui asserunt absolute, simpliciter, & sine ulla restrictione, Christum venturum non esse, Adamo non peccante, censentur velle ipsum nullo modo venturum, neque in carne passibili, neque impassibili.

16. Denique D. Chrysolomus serm. 1. Pentecost. ait: Deo clara est Ecclesia, propter Ecclesiam enim extensam est caelum, diffusum est mare, excusum aer, fundata terra, &c. Prosequitur eodem modo dicere totius mundi naturalis

constitutionem esse factam a Deo in gratiam Ecclesiae; deinde subijcit de ordine supernaturali, & miraculoso: Praep. Ecclesiam Deo regis sedebatur, sedebatur terra, subiecit manus de caelo. Propter Ecclesiam creatae, propter Ecclesiam Apostoli, immo propter Ecclesiam unigenitus Dei factus est homo. Haec Chrysolomus, cuius ratio loquendi postulat, ut quemadmodum in gratiam Ecclesiae facta est substantia litera & terra creatio, & effectio miraculorum, & institutio prophetiae ac apostolatus: ita & incarnatio qua unigenitus Dei Filius factus est homo, fit substantia litera propter Ecclesiam, & non solum quoad modum seu circumstantiam passibilitatis. Unde Apollonius 1. ad Corinth. 2. Loquimur Dei sapientiam in mysterio qua abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. Sapientia autem illa est Verbum incarnatum, ut patet ex verbis sequentibus: Quam novo principum huius saeculi cognovit, si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent: Ergo ex Apollonio sapientia Dei incarnata, subindeque incarnationis mysterium, quoad substantiam, in gloriam & salutem hominum praedestinatum seu decretum fuit.

§. II.

Alia ratio fundamentalis nostrae conclusionis expenditur.

Secunda ratio fundamentalis nostrae conclusionis sic breviter proponi potest. Cum Deus incarnationem primo efficaciter decrevit, voluit Verbum incarnari in carne passibili: At decretum incarnationis in carne passibili pendet a praesentia peccati Adami: Ergo si Adam non peccasset, Deus ex vi decreti quod habuit sese hypostaticae communicandi naturae humanae, nullo modo incarnatus fuisset. Minor & Consequentia patent. Major vero, in qua est difficultas, sic ostenditur. Cum primo Deus efficaciter voluit incarnationem, vel voluit Verbum incarnari in carne impassibili, vel in carne passibili, vel absolute, in communi, & quoad substantiam, nihil in particulari decernendo de passibilitate aut impassibilitate? Primum aut tertium dici nequeat: Ergo secundum necessarium asserendum est. Major patet ex sufficienti enumeratione omnium modorum quibus potest intelligi Deum primo decrevisse incarnationem Verbi. Minor autem probatur primo quoad primam partem. Si Deus primo voluisset efficaciter Verbum incarnari in carne impassibili, de facto assumpsisset carnem impassibilem: Sed hoc est contra fidem passionis & resurrectionis Christi; Ergo &c. Sequela patet, alias enim unum et duobus necessario esset admittendum, ut quod primum illud incarnationis decretum non fuisset efficax, & sic non fuisset sortitum effectum, Adamo non peccante, aut quod fuit postea mutatum in subsequenti signo rationis, supposita permissione & praesentia peccati, per aliud decretum quod Deus incarnationem prius praedestinatum in carne impassibili, voluit esse in carne passibili in remedium peccati, quod repugnat immutabilitati Dei & perfectioni sui providentiae; quae non est incerta & volubilis sicut nostra, & limitationem intellectus nostri & voluntatis.

Probatur etiam secundo incarnationem, seu unionem hypostaticam, abstrahendo a carne passibili aut impassibili: Primo scilicet, ita ut solum in communi & quod in confuso decreverit assumere naturam aliquam creatam, non determinando an angelicam, vel humanam. Secundo ita ut voluerit quidem hanc naturam, humanam scilicet in specie & individuo sibi hypostaticae unire, non determinando tamen, an cum carne passibili aut impassibili: Sed uterque modus est impossibilis: Ergo &c. Major patet. Minor probatur multipliciter. Primo quia actus efficax voluntatis divinae terminatur ad rem in particulari cum omnibus accidentibus, circumstantiis, & modis, cum quibus debet esse in particulari; tunc enim necesse est actum esse inefficacem, & conditionatum; quando terminatur ad rem sub eo statu sub quo non est possibilis in actu: Ergo repugnat Deum voluisse primo & efficaciter incarnationem Verbi, & voluisse eam solum in communi, & in confuso, aut quoad substantiam praesice, abstrahendo a carne passibili aut impassibili. Consequentia est evidens, repugnat enim eam de facto existere hoc modo in communi, aut abstrahendo a passibilitate, & impassibilitate, sed debet necessario esse in aliqua natura individua, passibili, aut impassibili determinate.

Secundo probatur Minor. Intelligere & velle aliquid in communi, & postea in particulari, cum omnibus accidentibus, circumstantiis, & modis, dicit imperfectionem intellectus nostri & voluntatis: Ergo non potest habere locum in Deo.

Tertio Minor suadetur: In actibus divini intellectus & voluntatis non reperitur ordo prioris & posterioris, nisi secundum ordinem objectorum ad quae terminantur, ita ut terminare passivum unius, sit ratio terminationis passivae alterius; unde cognitio essentiae divinae est prior in Deo cognitio.

gitione creaturarum, quia essentia est ratio cognoscendi creaturas: At inter incarnationem in communi, aut secundum substantiam, abstrahendo a passibilitate aut impassibilitate, & eandem in particulari sumptam, non est ordo ille dependentis & causalitatis: nam incarnatio in communi, aut secundum substantiam, non est causa etiam universalis incarnationis in particulari; & quoad modum & circumstantias: Ergo chimericum omnino est dicere, Deum voluisse prius efficaciter incarnationem in communi, quam eam voluerit determinate, & quoad omnes circumstantias in particulari.

20. Denum Minor principalis sic ostenditur, Praedestinatio, cum sit pars obiectiva divinae providentiae, ut in Tractatu de praedestinatione disp. 1. art. 4. ostendimus, attendit omnes circumstantias singulares rei praedestinate, seu praedefinitae: Sed decretum quo Deus primo voluit & praordinavit incarnationem, fuit praedestinatio Christi Domini. Ergo respicit omnes particularis circumstantias illius, & consequenter per illud fuit praedestinatum, in qua carne determinate Christus esset venturus.

21. Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Deus non habuit decretum aliquid dandi gloriam electis indefinitum abstrahendo ab hoc vel illo gradu, sed in gradu certo & determinato voluit eisdem gloriae conferre; alias divina providentia circa electos esset confusa & indeterminata, utpote se extendens dumtaxat ad substantiam rei volitae, non vero ad omnes & singulas illius circumstantias; ut communitur docent Theologi in Tractatu de praedestinatione: Ergo similiter Deus nullum habuit decretum terminandi hypostaticae naturam humanam ut sic, prout abstrahit a passibili & impassibili carne, alias divina providentia esset circa incarnationem confusa & indeterminata, quia se extenderet dumtaxat ad ejus substantiam, non vero ad singulas illius circumstantias.

§. III.

Modus dicens Suarez & Martini non resistitur.

22. Suarez & Martinus, ut ab his argumentis sese expediant, docent incarnationem quoad substantiam fuisse efficaciter volitam propter duos fines totales, nempe propter bonitatem intrinsecam & excellentiam ipsius mysteriorum; quae fuit prior redemptione, & vera ac principalis causa motiva decreti incarnationis, & propter remedium peccati, quod fuit causa movens ad ejus accelerationem, firmantque praecedentem voluntatem se incarnandi propter gloriam Christi, & excellentiam huius mysterii: Unde comparant Deum volentem se incarnari, homini qui jam determinavit efficaciter ire Romam, ut subveniat filio suo, quem graviter ibi aegrotantem novit opera sua indigere; at ei profectionem paranti supervenit nuntius referens aliquid sibi amici negotium postulare etiam ut Romam eat, quod nuntio iterum movetur ad proficiscendum Romam, ut antea destinaverat. Ita Deus (inquit) decreverat incarnationem intaxat solum Christi, & ob excellentiam huius mysterii: At insipientes in necessitatem extem auct & confirmavit eum caritate in homines, & secundo ac subsequenter affectu voluit incarnationem, propter remedium peccati, quam primo suo decreto, ob ejus excellentiam decreverat.

23. Haec tamen doctrina displicet non solum Thomistis, sed etiam pluribus ac praecipuis Societatis Theologiae, potestque breviter confutari. Primo, quia idem effectus non potest esse de potentia Dei absolute, a duplici causa efficiente totali & adequata procedere, alioquin penderet & non penderet ab utraque secundum eandem rationem, ut communitur docent nostri Thomistae in 2. physice. At eadem est ratio de duplici causa finali, totali, & adequata, ut consideranti patebit: Ergo implicat Deum voluisse mysterium incarnationis ex duplici fine adequato & totali.

24. Secundo, Esto admittamus posse eundem effectum a duplici causa adequata, sive efficiente, sed finali, de potentia absolute dependere; de lege tamen ordinaria, & attenda rei natura, non potest in communi Philosophorum sententia: At de divinis decretis & motivis illorum loquendum est semper consentaneum ad rerum naturas; nisi oppositum sit reprobatur: Ergo dicendum est, incarnationem non fuisse Deo efficaciter volitam propter duos fines totales, nempe propter ejus excellentiam, & humani generis redemptionem.

25. Tertio, Ideo apud homines potest aliquis primo velle aliquid obiectum propter unum totale motivum, & postea idem intendere, propter aliud motivum totale de novo sese offerens, quia potest mutare primam volitionem & primum motivum, & incipere velle illud obiectum, per aliam volitionem, & ex alio motivo, aut saltem quia potest subordinare primam volitionem, & primum totale motivum, secunda volitioni, ex alio motivo procedenti, sicque velle praedictum obiectum ex duplici illo motivo

per modum unius: Sed hoc repugnat Deo, cum hic modus procedendi imperfectionem mutabilitatis indispensabiliter importet: Ergo &c.

Quarto, Si Deus voluisset incarnationem ob remedium peccati, & propter excellentiam ipsius, tamquam propter duos fines totales & non subordinatos, sequeretur incarnationem fuisse futuram, etiam si mundus non fuisset creatus: Sed hoc absurdum est: Ergo & illud. Sequela probatur, quia fuisset volita independentem ab universo, unde praesice ex volitione illa incarnationis propter finem totalem, secuta fuisset productio unius individui tantum humanae speciei, in quo Deus subsisteret.

Denique, Si redemptio hominum non esset totalis, aut saltem prima ac precipua causa motiva incarnationis, sed daretur alia prior ac principalior, nimirum excellentia huius mysterii, non essent vere ac sincere Dei locutiones, quibus in Scriptura simpliciter & absolute asserit, se incarnatum esse, & venisse in mundum, propter hominum redemptionem & salutem, ut patet exemplo ab Adversariis adducto: si enim ille homo allatus in exemplum, astitit & sincero modo loquendi atteretur, non diceret amico, tui causa domum meam reliqui, & periculosum iter suscepi; sed ad summum diceret, Romam iturus eram, filii mei gratia; sed quamvis haec causa non fuisset, tui studium & amor me impulisset, ut Romam irem, ac iter illud susceperem. Quod alio exemplo illustrari potest. Sit Rex qui aliis de causis mittit filium suum v. g. in Italiam, & jam deliberata & parata Italia profectione, perveniant litterae, quibus aliqua pars Italia implorat auxilium Regis, ut eam armis contra hostes tueatur, & Rex filio jam profecturo praecipiat, ut eam partem Italiae, quae poscit ejus opem, armis tueatur. Non debet ejusmodi Rex exprobrare Italiae: Ergo filii mei conspectu me privavi ad vos tuendos; sed fieri nec loqueretur si diceret, filio meo profecturo mandavi ut vos armis tueatur, & desiderium vobis subveniendi, quasi currenti calcem adhibuit. Sic Paulus 2. ad Corinth. 8. dicit de Tito proficiscenti Corinthum, Gratias Deo qui dedit tantam sollicitudinem pro vobis in corde Tito, quantum exhortationem quibus suscepit, sed eam sollicitudinem esse, suo voluntate profectus est ad vos. Quibus verbis Paulus significat se tantum adhibuisse pondus suae exhortationis Tito, qui jam deliberaverat proficisci Corinthum. Ita similiter, si vera esset Adversarij sententia, & si Deus decrevisset mysterium incarnationis propter ejus excellentiam, tamquam propter primam ac precipuam causam motivam illius, non debuisset dicere simpliciter se venisse in mundum in gratiam generis humani, sed se venturum propter alium finem, misericordiam in humano genere, novum pondus, & impulsam addidisse huius voluntati, incarnationis exequenda.

Respondet Suarez, quod licet salus & redemptio hominum fuerit causa tantum secundaria & minus precipua incarnationis; potuit tamen Deus in Scriptura simpliciter dicere, se venisse in mundum propter homines, & ipsorum redemptionem & salutem, adducitque ad hoc suadendum exemplum ex primo Regum 16. ubi cum Samuel jam Dei jussu paratus esset ad proficiscendum Bethleem ad ungendum David in Regem, & Samuel timeret sibi a Saule, ait illi Dominus: Vitulum de armento vellet in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni. Haec enim intentio sacrificandi erat minus precipua & tantum secundaria, & tamen illam solum profert Samuel ut causam sui adventus in Bethleem. Ita similiter (inquit Suarez) Deus potest in scriptura simpliciter asserere, se in gratiam nostram venisse, quamvis salus & redemptio hominum fuerit tantum finis secundarius & minus precipuus incarnationis.

Sed contra: Nisi fuisset dissimulanda & tegenda Samueli causa prima & precipua sui adventus in Bethleem, scilicet unctio Davidis in regem, non protulisset ille secundam & minus precipuam sui adventus causam: Verum cum non esset congruum, Propetam mentem suam & intentionem propagare, propter imminens a Saule periculum, potuit licite eam occultare, & pro prima ac precipua, secundariam tantum ac minus principalem causam sui adventus profere. At cum Deus exponit in Scripturis, & Conciliis finem suae incarnationis, nihil cogit eum ad dissimulandum, & ad tegendum suam intentionem, immo omnia invitavit ad candidissime & sincerissime eam exponat: Ergo cum dicat frequentissime causam incarnationis suae esse salutem & redemptionem hominum, ut patet ex testimoniis paragrapho praecedenti adductis, dicendum est eam esse causam primam, precipuam, & originalem, non vero secundam tantum, accessoriam, & minus principalem.

§. IV.

Principia objectiones solvantur.

Obijcies primo: Mysterium incarnationis fuit Adamo revelatum in statu innocentiae, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 2.

2. 2. q. 2. art. 7. & tamen sui peccati futuri præfens non fuit, ut ibidem ait S. Doctor, ratioque id fluat: Nam si peccatum a se committendum prænovisset, talis notitia in eo causasset tristitiam, quæ cum hujus status florentissimi felicitate incompotibilibis erat: Ergo remedium peccati, motivum Incarnationis non fuit, & consequenter, etiam Adamus non peccasset, Verbum Divinum carnem humanam assumpsisset.
- 31 Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiã: nam ut ait D. Thomas hic art. 3. ad 5. Nihil prohibet alicui revelari effectum cui non revelatur causa, unde potuit Adamo revelari Incarnationis mysterium, abique eo quod esset conficius sui peccati, cujus remedium causa fuit motiva Incarnationis Christi.
- 32 Dices, Naturale est homini, cognito effectu, appetere causæ cognitionem, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 12. art. 2. unde quando cognito effectu, ejus causâ ignoratur, talis ignorantia tristitiam & anxietatem causat: At in statu innocentie anxietatis & tristitiae locus non erat: Ergo tunc revelata fuit Adamo causâ motiva Incarnationis, & per consequens si peccatum proprium illi non fuit revelatum, remedium peccati Adamo, motivum Incarnationis non fuit.
- 33 Respondeo Incarnationem Christi fuisse ordinatam & ad liberationem hominis a peccato, & ad gloriæ consummationem: licet autem non fuerit Adamo revelatum remedium peccati ut motivum, fuit tamen illi revelata consummatio gloriæ, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. & hoc fuit sufficiens ut ab illo tolleretur anxietas.
- 34 Instabis, Ut tolleretur anxietas, necessaria erat revelatio motivi adequati, non enim pacatur desiderium cognoscendi causam, cognito effectu, nisi causâ adequatâ innotecat: Ergo si revelata Adamo solius gloriæ consummatione, quæque est desiderium, nullaque in eo anxietas remaneret, consummatio gloriæ fuit adequatum Incarnationis motivum.
- 35 Respondeo quod quando dependentia effectus a causâ est ab intrinseco, non quiescit desiderium, nisi adequata causâ cognoscatur: quando autem dependentia non est ab intrinseca, sed ab extrinseca voluntate operantis, tunc non est necessarium ad quietandum desiderium, revelari causam adequatam effectus: unde cum independentia Incarnationis a remedio peccati, non sit illi intrinseca, sed ex sola Dei extrinseca voluntate dependeat, & aliunde consummatio gloriæ sit motivum quantum est de se sufficiens respectu Incarnationis, nulla anxietas remansit in Adamo, ex eo quod alterum motivum Incarnationis, scilicet remedium peccati, ipsi revelatum non fuerit.
- 36 Obijces secundo: Augustinus lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 27. docet matrimonium in statu innocentie fuisse signum atque Sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia: Ergo existimari nullo existente peccato, Christum venturum, alias Sacramenti significatio tunc vera non fuisset.
- 37 Respondent plures ex nostris Thomistis, Augustinum solum velle in illo statu conjunctionem viri & femine fuisse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, non actualiter, sed aptitudinaliter, id est habuisse aptitudinem ad talem significationem.
- Sed hæc interpretatio non videtur ad mentem Augustini, nam postquam loco citato tria nuptiarum bona enumeravit, scilicet operationem propagandæ prolis, pudicitiam fidem, & connubii Sacramentum, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia, subdit de matrimonio in statu innocentie: *His tribus bonis perfecte se habere habens nuptiarum, quibus etiam nunc sunt bona nuptia.* At si solum aptitudinem haberet ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, non perfecte ei tria illa bona convenirent: non enim est perfecte signum ad placitum, quod solum habet aptitudinem ut ei significatio imponatur, sed solum id quod est ad significandum impositum: Ergo hæc interpretatio mentis Augustini non quadrat. Unde
- 38 Melius responderet, Augustinum velle quidem bonitatem signi conjunctionis Christi cum Ecclesia convenisse nuptiis in statu innocentie ante peccatum Adami actu patratum, non tamen ante præscientiam & decretum permissivum illius, subindeque non negat peccatum tunc fuisse absolute futurum, & Verbi Incarnationem dependenter ab illo, ut permissio, ac prævisio quamvis non actu commissio.
- 39 Obijces tertio: Licet Verbum divinum de facto incarnatum fuerit propter reparationem generis humani: hæc tamen non fuit causâ principalis & adequata; nam præter illam assignantur interdum in Scriptura alie causæ, etiam principales, ut manifestatio divinatorum attributorum, complementum & perfectio totius universi, exaltatio humanæ naturæ, ac denique consummatio ordinis gratiæ, quæ quidem causæ erant sufficientissimæ ut incarnatio fieret, etiam Adamo non peccante.
- 40 Confirmari potest hæc obiectio omnibus illis Scripturæ locis in quibus dicitur Christum venisse ut Conciliatorem, Pastorem, Regem, Ducem, Magistrum: hæc

enim officia a remedio peccati videntur independentia. Addi possunt testimonia Cypriani & Augustini, in quibus asserunt Deum factum esse hominem, ut totum hominem beatificaret, sive ingrederetur per intellectum, sive egrederetur per sensum in Creatore suo passus inveniret, ut disput. 3. agendo de convenientia Incarnationis iuse expendimus.

Ad objectionem respondeo cum D. Thoma hic art. 3. ad 2. quod omnes alie causæ Incarnationis que assignantur in Scriptura, pertinent aliquo modo ad remedium peccati, & in illo includuntur, ac proinde præsupponunt præscientiam peccati, sicut & ipsa Incarnatio, & ad reparationem generis humani ordinantur, ut constat ex verbis Apostoli ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus tradens nos, ut abique omni impietate &c.* In quibus verbis, simul cum doctrina quam Christus ut Doctor tradidit nobis, conjungitur redemptio generis humani.

Quamvis ergo manifestatio divinatorum attributorum, excellentia Incarnationis, & alia bona que illam per se consequuntur, essent ex se sufficientia ut quoddam solum possent esse motivum totæ Incarnationis; non fuerunt tamen motivum totale & adequatum; sed partiale & inadequatum, quatenus Deus non intendit manifestationem suorum attributorum, per manifestationem excellentie Incarnationis, & aliorum bonorum, nisi in ordine ad reparationem naturæ humanæ, ut summum quod nos prosequitur amorem faculis supervenientibus manifestaret. Unde

Ad confirmationem dico, omnia illa officia que ibi enumerantur, dependere aliquo modo a remedio peccati, & redemptione hominum, illamque implicite saltem involvere. In primis enim officium concionatoris non est independentis omnino a peccato, ut patet Isaie 61. ubi dicitur: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ut melerer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam &c.* Similiter ut pastor missus est quærere & salvam facere ovem que perierat, ut constat Luca 15. & Ezech. 34. Ut Dux & Rex etiam missus est ad salvandum populum, juxta illud Isaie 33. *Dominus Rex noster ipse inspicit nos, item magister venit ut opere & doctrina, verbo & exemplo, viam salutis nobis aperiret & demonstraret.* Ad testimonia vero Augustini & Cypriani respondeo, illos loqui de homine redempto per Christum, & velle Christum venisse ut in corpore & anima satiaret hominem quem redimebat.

Obijces quarto: Etiam Adam non peccasset, eadem tamen gratia quam habuit in statu sue innocentie, eia a Deo collata fuisset: Sed non independentem a meritis Christi, sive Dei incarnandi: Ergo etiam si homo non peccasset, Deus tamen incarnatus fuisset, etiam ex videlicet quod habuit circa assumptionem nostræ naturæ. Major constat, Minor vero probatur. Nullus effectus prædestinationis Adami fuit independentis a meritis Christi: Sed gratia quam habuit, etiam in statu innocentie, fuit effectus prædestinationis ipsius: Ergo non independentem a meritis Christi est collata fuit. Major est certa, cum enim Christus sit caput omnium hominum prædestinationis, idque mediatis actionibus quibus nobis meruit, prædestinatio Adami, & consequenter omnis ejus effectus, dependens fuit a merito Christi. Minor vero sic ostenditur: Cum omnis gradus gloriæ hominis prædestinati sit effectus prædestinationis ipsius, illa gratia pertinet ad effectus prædestinationis Adami, cui correspondet aliquis gradus gloriæ, in qua modo Adamus ipse existit: Sed gratia quam habuit in statu innocentie, correspondet aliquis gradus gloriæ in qua modo existit: quamvis enim gratia illa amissa fuerit per peccatum, & meritum ejus mortificatum, tamen per penitentiam fuit illi restituta, & meritum vivificatum ad eum gradum gloriæ recipiendum ad quem habuerat jus in statu innocentie: Ergo gratia quam Adamus habuit in statu innocentie, fuit effectus prædestinationis ipsius.

Respondeo negando Minorem, ad cujus probationem, nego etiam Minorem: ad probationem illius, iterum nego Minorem; falsum enim est quod gratia illi quam habuit Adamus in statu innocentie, formaliter ut tali, & ut primum a Deo voluit, correspondeat aliquis gradus gloriæ in quo modo existat protopærens noster, fuit siquidem per peccatum totaliter extincta ejusmodi gratia, nec opera meritoria ex ipsa facta, retinuerunt aliquid jus, remaneruntve ullo modo in acceptione divina ad gloriam tantquam ad præmium, sed remanserunt omnino mortua & incapacia revivificæ per penitentiam, in quo differunt a nostris meritis, que cum per peccatum lethale solum mortificentur, reviviscunt per penitentiam ad eisdem gradus gloriæ, ad quos jus speciale habebant, antequam Deum graviter offenderemus. Si autem rationem hujus disparitatis quæras, dico eam exinde peti, quod destructa in nobis gratia sanctificante per peccatum mortale, remanet nihilominus adhuc unum ex principis moralibus & vitalibus

vitalibus actionum illarum, quibus antequam laberemur in peccatum, aliquid apud Deum meruimus, nempe ipse Christus, qui cum sit causâ moralis & vitalis omnis nostri meriti, illud in mente & acceptione divina conservat. Ad vero respectu Adami adhuc in statu innocentie existentis, cum Christus nondum induerit in ejus mortuum, sed sola gratia ei collata, esse principium radicale & vitale talis meriti, mirum esse non debet, quod destructo tali principio radicali & vitali, omne meritum quod ab eo processerat, totaliter vitam amiserit, atque adeo non mortificatum tantum, sed & omnino mortuum remanserit.

§. V.

Præcipuum adversa sententia fundamentum convellitur.

46 Præcipuum adversa sententia fundamentum potest sic breviter proponi. Sententia voluit & prædestinatus est a Deo ante præscientiam peccati hominum: Ergo licet homo non peccasset, nihilominus Christus ex vi præsentis decreti venisset. Consequenter videtur legitima, cum enim prius non dependeat a posteriori, si adventus Christi voluit est a Deo ante præscientiam peccati hominum, est independentis a tali peccato & ejus remedio, atque adeo executioni mandatus fuisset: licet homo non peccasset. Antecedens vero probatur. Prædestinatio Christi prior fuit decreto producendi creaturas: Ad decretum productionis creaturarum prius fuit decreto permittendi peccatum: Ergo Christus voluit & prædestinatus est a Deo ante permissionem, subindeque ante præscientiam peccati hominum. Minor patet: Non potuit Deus permittere peccatum hominum, illudque præfere antequam haberet voluntatem ipsos producendi. Major vero in qua posita est difficultas, probatur primo ex Apostolo ad Coloss. 1. ubi Christum appellat, *primogenitum omnis creature*, quod de Christo ut homine, plures ex Sanctis Patribus interpretantur: At non primogenitum tempore: Ergo est primogenitus in intentione divina, ac proinde illius prædestinatio præcedit decretum productionis rerum.

47 Secundo, Prov. 8. Divina Sapientia ait: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio.* Ubi etiam sermonem esse de Sapientia Incarnata docent Basilus, Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, & plures alii quos referi vult Vincentius, electi de gratia Christi q. 6. Ergo Verbum incarnatum fuit initium viarum Domini, id est operum Dei ad extra: At non fuit initium in temporali rerum executione, cum post multam creaturam Verbum fuerit incarnatum: Ergo fuit initium in divina intentione, ac proinde illius prædestinatio decretum prædestinationis rerum præcessit.

48 Tertio eadem Major ratione fluat. Omnis ordinate volens, prius vult finem, & ex mediis illa que sunt fini propinquiora: Sed ad manifestationem bonitatis divine, que est finis intentus a Deo in productione rerum, propinquius se habet incarnatio Verbi, quam omnes alie creature, cum illas omnes in perfectione excedat: Ergo Deus semper volens ordinatissime, prius intendit manifestationem bonitatis sue, & immediate post voluit Incarnationem Verbi, postea ordinem gratiæ, ac tandem ordinem naturæ, ac proinde decretum Incarnationis prius fuit decreto productionis rerum.

49 Hinc argumentum, quod apud Adversarios palmarium est, triplex solet adhiberi solutio. In primis aliquid ex nostris Thomistis, concessio Antecedente, negant Consequentiam: quia (inquit) est Christi prædestinatio antecedat in intentione Dei, præscientiam peccati, & decretum homines redimendi, eo ipso tamen quod non alio modo, neque alio modo, voluit Deus illum executioni, nisi media permissione peccati, fit inde quod si homo non peccasset, Christus non venisset. Eo proportionali modo quod licet intentio quam habet Deus dandi suam gloriam electis, sit prior decreto de bonis operibus ipsorum, atque adeo prævisionem ejusmodi operum antecedat, nihilominus quia Deus non aliter statuit voluntatem illam five intentionem adimplere, quam per bona opera, verum est dicere quod nullus electorum absque bonis operibus salvabitur.

50 Hæc solutio habet dubie probabilis est, potestque illustrari alio exemplo ex orationibus Sanctorum, quibus Deus decrevit alicuius prædestinationem impleri, & sumptum: quamvis enim intentio prædestinandi non fuerit post prævisas tales orationes, neque ex ipsis, tantquam ex causâ, vel ratione; tamen quia hæc intentio non alio modo quam his orationibus decreta est impleri, verum est dicere quod ille non salvus esset, si talis Sanctus pro eo non orasset; & quod Ecclesia Paulum non habuisset, si Stephanus pro eo non orasset. Eodem ergo modo, quamvis prædestinatio Christi facta fuerit ante prævisionem peccati, & ante decretum redimendi homines; quia tamen quoad executionem non alio modo, neque

alio medio dispositum fuit hæc prædestinationem impleri, nisi media permissione peccati, fit esse verum, quod si Adam non peccasset, Verbum Divinum carnem humanam non assumpsisset.

Respondent secundo alii, negando Antecedens, ad cuius probationem dicunt Christum non ideo in Scripturis appellari primogenitum omnis creature, quod prius ordine causalitatis & intentionis prædestinatus fuerit, quam alie omnes creature sint prædestinate & volente a Deo, sed tantum quia dignitate & excellentia antecedit eas, ut exponit D. Hieronymus.

Ad secundam respondent, vel ibi sermonem esse de Sapientia increata, que dicitur initium viarum Dei, quia Verbo quod est Sapientia Patris condita sunt universa. Vel si verba illa de Sapientia incarnata intelligantur, illam dici initium viarum Dei, qui est initium operum redemptionis, & prædicationis Evangelicæ ratione humanitatis, & omnium creaturarum ratione divinitatis, ut interpretatur Cyrillus lib. 9. thesauri cap. 7. & 8. & Hieronymus ad verba illa Prov. 8. Ex quo solum sequitur, prædestinationem Christi fuisse in divina mente priorem decreto evangelicæ prædicationis.

Ad tertiam respondent, Majorem esse veram de his que sunt fini propinquiora ordine causalitatis, falsam vero de his, que sunt propinquiora illi tantum ordine perfectionis: Christus autem licet sit perfectior universo ordine gratiæ, non tamen est propinquior fini a Deo intento ordine causalitatis; ita ut res naturales, & ordinis gratiæ, in attingendo finem intentum a Deo, scilicet manifestationem bonitatis sue, ab illo ut intermedio dependeat, sed seipsis immediate ad talem finem conducunt; ac proinde potuit Deus decernere omnia simul, vel minus perfectum ad perfectius ordinare, vel denique perfectius ordinare ad minus perfectum; cumque hoc ex sola Dei voluntate pendeat, qualiter de facto contingerit, ex Scriptura, Conciliis, & Patribus indagandum est; quia ex illis constat, Deum decrevisse mysterium Incarnationis propter hominum salutem & redemptionem, afferendum est, non prius prædestinasse Christum, quam decreverit universum producere, & peccatum permittere. Unde juxta hunc modum dicendi sic disponenda sunt divina mentis decreta. Postquam Deus scientia simplicis intelligentiæ omnia possibilia cognovit, primo suorum attributorum manifestationem decrevit. Secundo ad istum finem ex pluribus possibilibus hunc mundum elegit, ex diversis rerum gradibus & naturis compositum. Tertio voluit naturam intellectualem donis gratiæ exornare. Quarto decrevit hominis peccatum permittere. Quinto prævisio peccati misericordia tactus, potens multis modis hominis peccatum destruere, vel pure misericorditer condonando, vel satisfactionem inaequalem & imperfectam acceptando, modo convenientissimo illius expiationem, ac remedium nostrum decrevit, scilicet per condignam & æqualem satisfactionem. Sexto ad talem satisfactionem exhibendam, voluit quod Verbum carnem humanam assumeret. Denique in Christo quodam ex hominibus elegit ad gloriam, aliis in massa perditionis, iusto iudicio, sed nobis occulto, relictis.

§. VI.

Verior ac probabilior solutio traditur.

Licet præcedentes solutiones non sint improbabiles, & a gravissimis Theologis tradantur ac defenduntur, placet tamen addere tertiam, que videtur probabilior, sumiturque ex communi Thomistarum & Peripateticorum doctrina, qui asserunt causas sibi invicem esse causas, & quod in uno genere causæ est prius, posse in alio esse posterius, ut variis exemplis in Tractatu de justificatione disp. 1. art. 8. declaravimus.

Dicimus ergo quod ordine intentionis, prius fuit voluitus Christus, quam omnia alia, sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis, & quam permissio peccati, in genere causæ finalis, posterius tamen in genere causæ materialis. Vel ut alii dicunt, licet Christus prius fuerit prævisus & intentus in ratione finis sui, quam ordo naturæ & gratiæ, & quam peccatum intelligatur esse permissum a Deo; tamen prioritate finis sui, prius voluit fuit remedium peccati sui generis humanum ut redimendum, quam fuerit prævisio & volita Incarnatio; quod ut magis declaretur

Notandum primo, finem qui est adequatum intentionis obiectum, dividi a Philosophis in finem *Qui*, sive ut alii loquuntur in finem *Cujus gratia*, & in finem *Cui*, quem alii appellant *suum effectum*: Finis qui, sive cuius gratia, est illud bonum quod appetitur, & cuius gratia media assumuntur. Finis vero cui, est illud subiectum, sive illa persona, cui vel propter quam appetitur tale bonum: v. g. in Medico desiderante sanitatem ægroto, finis qui est sanitas, propter quam procurandam infirmo præscribuntur potiones,

tionem, & alia remedia adhibentur. Finis vero cui, est ipse infirmus cui sanitas desideratur.

54 Notandum secundo, quod licet in eodem infirmo, sed mutua causalitas & dependentia, bene tamen in eodem genere subalterno, divisibili in diversos modos causandi. Nam ut communiter docent nostri Thomiste, in Tractu de generatione & corruptione, dispositiones concomitantes, sunt priores composito genito, in genere causa materialis dispositiva, quia ad formam receptionem disponunt, & posteriores in genere causa materialis receptiva, seu subiectiva, quia in composito recipiuntur & subiectantur; tamquam in subiecto quod. Cum ergo genus causae finalis sit subalternum, & in duas veluti species dividatur, nimirum in finem qui, seu cuius gratia, & in finem cui, nihil repugnat, id quod est primum in ratione finis qui, esse posterius & dependens, in ratione finis cui, ut patet in exemplo adducto. Medici desiderant sanitatem infirmo; ipsa enim sanitas est prior aegroto in ratione finis, qui, seu cuius gratia eger vero cui sanitas desideratur, est prior in eodem genere causae finalis, in ratione finis cui. His premisiis.

55 Prima pars huius solutionis, quae asserit Christum esse due intentionis prius fuisse volutum, ut finem qui, quam res ordinis naturalis, & ordinis gratiae, & quam permissionem peccati, probatur primo ex illo Apostoli I. ad Corinthios: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ubi D. Thomas ait significari, quod quomodo omnia propter praedestinatum creati sunt, ita omnia creata, & ipsi praedestinati, sunt propter Christum, ut est homo, tamquam propter finem; sicut & illa omnia, & ipsemet Christus, sunt propter Deum ut ultimum finem: Ergo Christus in ratione finis qui, sive cuius gratia est prius volutus & intentus, quam res ordinis naturalis, & supernaturalis, subindeque quam permisso peccati.

56 Secundo, Finis cuius gratia, sive ultimus, sive proximus, magis diligitur, quam id quod ob illum amatur: At inconveniens videtur dicere, Christum fuisse a Deo minus dilectum, quam remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum: Ergo genus humanum, non est finis qui, seu cuius gratia, prius a Deo intentus, sed post ipsa Christus in mente & intentione Dei talem prioritatem in genere causae finalis obtinet.

57 Tertio, ut egregie dicitur Magister Herrera in manuscriptis ad hunc articulum, cum Deus sit omnium creatorum finis, consentaneum videtur, ut ea in quibus specialiter quodam modo Deus reperitur, sint etiam aliorum omnium finis; ideoque cum in anima iusti specialiter quodam modo Deus inhabitet, ad iustum tamquam ad finem omnia naturalia ordinantur. Similiter quia in sacramento altaris specialiter modo invenitur auctor gratiae & gloriae, sacramentum Eucharistiae ceterorum omnium finis esse censetur. Cum ergo in humanitate Christi, specialiter quodam, & ineffabili modo, plenitudo divinitatis inhabitet, Christus iure merito, omnium creatorum, & totius ordinis naturae & gratiae finis censendus est. subindeque ordine intentionis prius volutus a Deo quam omnia alia, sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis, & quam permisso peccati.

58 Quarto, Permissio peccati Adami non debuit eligi a Deo ex solo fine ostendendi suavitatem suae providentiae licet enim ad providentiae divinae suavitatem pertineat permittere quod natura defectibilis in aliquibus individuis deficiat, non tamen quod deficiat in omnibus: peccatum autem originale est defectus omnium individuorum naturae humanae: Ergo permissio peccati originalis ex nullo alio sine potuit a Deo eligi congruentius, quam ex motivo tanti boni, scilicet Christi redemptoris, qui proinde est prius volutus & intentus a Deo in ratione finis qui, quam permisso peccati originalis.

59 Denique, de divinis decretis & eorum motivis loquendum est semper consentaneum ad rerum naturam, nisi oppositum revelatum sit: magis consentaneum est naturae rerum, secundum quas id quod perfectius est, ad imperfectius ut ad finem cuius gratia non ordinatur, quod genus humanum, ut redimendum, & res omnes ordinis naturalis & supernaturalis, ad Christum ut ad finem qui, sive cuius gratia ordinatur; quam quod ipse Christus, remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum, tamquam finem cuius gratia respiciat; & alias ex nullo Scripturae testimonio potest colligi oppositum, ut patet ex infra dicendis: Ergo dicendum est, Christum in ratione finis qui, seu cuius gratia, esse priorem in mente & intentione Dei, quam remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum.

60 Confirmatur & magis illustratur haec ratio ex D. Thoma in 2. dist. 15. q. 1. art. 1. ad 6. ubi sic ait: *Aliquid potest esse propter aliud dupliciter, aut quia ordinatur ad ipsum, sicut ad finem proprium & principalem; & sic inconveniens est dicere, quod aliquid sit propter vitium se, ut luna & stella propter nebulas, & vesperationes, cum finis sit prior*

his qui sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas, eo modo quo potest dici, Regem esse propter vicarium, ex cuius regimine provenit ei pax, & per hunc modum est intelligendum quod in littera dicitur, omnes enim utilitates quae ex corporibus celestibus proveniunt in inferioribus, sunt a Deo praesens, qui corpora illa instituit. Ubi S. Doctor inconveniens reputat, quod luna & stella facta sunt propter vesperationes tamquam propter proprium finem, hoc est, finem cuius gratia, non autem propter finem qui ex luna & stellis utilitas provenit. Ergo similiter inconveniens debet censeri quod remedium peccati, vel homo ut redimendus sit finis proprius, id est, cuius gratia, Incarnationis; non autem quod sit finis cui, seu utilitatis, cum ex ea maxima utilitas ipsi proveniat. Ex quo probata manet secunda pars nostrae resolutionis, quae asserit genus humanum, ut redimendum, esse prius Christo in mente & intentione Dei, in ratione finis cui, sive ut alii dicunt in genere causae materialis. Potestque confirmari, quia Christus ex vi decreti intentivi sui voluit ut redemptor: At ut sic nequit intendi, nisi praevio homine, ut materia perficienda, & peccato, ut materia destruenda: Ergo decretum intentivum Christi posterius est in genere causa materialis, sive finis cui, permissione peccati, & homine redimendo. Unde ad argumentum initio §. praecedentis pro sententia Scoti propositum, dilinguo Antecedens: Christus est volutus & praedestinatus a Deo ante praesentiam peccati hominum; sit illa particula, ante, denotet prioritatem in omni genere causae, & nego Antecedens. Si denotet prioritatem in genere causae finalis, & in ratione finis qui, concedo Antecedens, & nego Consequentiam; quia facta optime, praedestinationem Christi esse priorem in mente divina praesentia peccati, seu humano genere ut redimendo, in aliquo genere causae, & nihilominus ab ipso in alio genere dependere; subindeque Christum non esse venturum, nullo peccato existente. Ex qua doctrina.

Colliges primo, hanc inter divina decreta ordinem esse 61 constituendum, quod scilicet in genere causae finalis prius fuit in ordine intentionis decretum Incarnationis decreto creationis, glorificationis, justificationis, & permissionis peccati, cum posterioritate in genere causae materialis iam explicata in ordine tamen executionis, decretum creationis fuit prius, postea decretum justificationis, deinde decretum permissionis peccati, postea decretum reparationis ab illo, & tandem decretum glorificationis.

Colliges secundo, quod quando Scriptura, Concilia & SS. Patres, dicunt Christum praedestinatum fuisse ut nos redimeret, vel propter nostram salutem, particulae *illius*, & *propter*, non denotant finem qui, seu cuius gratia, sed tantum finem qui, seu utilitatis, quatenus ex Incarnatione provenit homini maxima utilitas, scilicet remedium peccati.

Colliges tertio, non solum peccatum hominum, sed etiam Angelorum, fuisse praevium ante decretum Incarnationis; quia Deus non poterat providere peccatum primum parentum, nisi enim praevidere malitiam demonum, qui ex superbia & invidia tale peccatum ipsis perficerent.

Ex dictis etiam facile dilui possunt quaedam argumenta, sumpta ex inconvenientibus, quae nobis obijciunt Adversarii: si enim (inquit) Incarnatio fuisse voluta a Deo sumpta occasione ex peccato, esset bonum occasionatum, & anima Christi deberet gaudere de peccato nostro non minus gratias agere, quod illi dederimus occasionem essendi. Item Deus ordinat majus bonum, quale est Christus, ad minus bonum scilicet remedium peccati, quod est inordinate procedere.

Sed haec, ut dixi, facile diluuntur ex principiis supra 62 statutis: Ad primum enim respondetur, occasionatum dupliciter summi posse, primo prout idem est ac praeter intentionem agentis, & a casu, quo sensu mulier appellatur a Philosopho *motu occasionatum*. Et in hoc sensu non solum Incarnatio, quod est praecipue intenta a Deo, sed nullum omnino bonum, esset occasionatum respectu Dei, cum omnia divinae providentiae & gubernationis subdantur. Secundo potest dici aliquid occasionatum, qui pendet ex aliqua occasione, licet aliunde sit intentum a Deo, & in hoc sensu concedi potest, Incarnationem esse bonum occasionatum, quia tamen *liberatum*, proprie tantum primo modo desinitur, ideo absolute negandum est, Incarnationem esse bonum occasionatum.

Ad secundum dico, Christum debere gratias agere Deo, non nobis, & gaudere non de peccato nostro, sed de bonitate & misericordia Dei, quae tantum bonum ex tanto malo tamquam ex occasione produxit: neque enim nos dedimus occasionem essendi Christo per se, & ex intentione Dei, qui ex peccato Adami, tamquam ex occasione, Incarnationem Verbi Divini desumere voluit.

Ad tertium respondeo quod ordinare majus bonum ad 63 minus, tamquam ad finem qui, vel cuius gratia, est inordinate

ordinate procedere, non autem ordinare majus bonum ad minus, tamquam ad finem qui: nam Angeli in Scriptura dicuntur producti & missi in ministerium hominum, & salus rustici dicitur finis cui providentia regiae, quia bonum rustici refertur ad providentiam & gubernationem Regis. Denum inferiorum generatio dicitur finis cui motus celi, nec tamen propterea est illo perfectior.

ARTICULUS II.

Utrum solo existente peccato originali, & e contra solis existentibus actualibus, factura esset incarnatio, ex vi praesentis decreti?

§. I.

Quibusdam praemissis, difficultas duplici conclusione resolvitur.

68 **D**uo in huius difficultatis resolutione ut certa ab omnibus supponuntur. Primum est, Christum venisse in mundum, ad delendum non solum originale peccatum, sed etiam omnia actualia, seu ad exhibendum remedium sufficiens ad omnium peccatorum deletionem. Unde r. Joann. a. dicitur: *ipso est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et D. Paulus ad Hebraeos 1. ait Christum fuisse purgationem omnium peccatorum. Ratio etiam suffragatur: Nam finis Incarnationis est perducere homines in vitam aeternam: Ad introductio ad regnum caeleste, & vite aeternae consecutio non solum per peccatum originale, sed etiam per peccata actualia impeditur. Ergo Christus venit, non solum ad delendum peccatum originale, sed etiam ad tollenda peccata actualia.

69 Alterum in quo omnes fere Auctores consentiunt, est quod Incarnatio principalis facta est ad tollendum peccatum originale: Nam ut dicitur S. Doctor hic art. 4. ad deletionem illius peccati principalis facta est Incarnatio, quod absolute est majus: At peccatum originale, est absolute majus actuali: Ergo &c. Major est certa, quanto enim peccatum est gravius, eo magis humana adversatur saluti, propter quam Deus est incarnatus. Minor vero probatur. Peccatum actuale, licet intensive majus sit peccato originali, cum plus habeat de voluntario, tamen ex se solum inficit singularem personam, non vero tamen naturam, sicut peccatum originale: At peccatum quod de se inficit totam naturam, absolute majus est eo quod solum inficit singularem personam; ut enim docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 2. bonum gentis divinius & praesentibus, quam bonum particulare. Ergo peccatum originale est absolute majus actuali.

70 Confirmatur: Ad illud peccatum tollendum principalis venit Christus ex quo major oritur miseria & minus voluntaria: Sed ex peccato originali major oritur miseria; nam fere omnia peccata actualia ex originali, ut ex causa & fonte, ortum habent; ex eo etiam oriuntur penalitates huius vitae, ut mors, aegritudines, ignorantia, concupiscentia &c. Item per peccatum originale jenu celorum ita clausa erat, ut quantumcumque aliquis esset iustus & sanctus, nunquam tamen posset ad Dei visionem pervenire, donec Deo exhibita fuisset condigna & rigorosa satisfactio pro tali peccato, quod etiam est minus voluntarium quam cetera peccata actualia, quia non contrahitur voluntate propria, sed tantum voluntate primi parentis, in quo tamquam in capite voluntates ceterorum hominum continentur: Ergo Christus principalis venit ad tollendum peccatum originale. His praemissis.

Ergo solo originali peccato existente Christus venisset, ex vi praesentis decreti.

Confirmatur: Daniel. 9. ubi Incarnatio predicatur futura, fit mentio solius Originalis peccati delendi, nam Archangelus Gabriel ipsum Danielem de tempore adventus Christi instruens, sic ait: *Septuaginta hebdomadae abbreviatae sunt super populum tuum, & super urbem sanctam, ut consummaretur peccatio, & tunc accipiat peccatum, & delentur iniquitates.* Quo loco de peccato originali loqui Archangelum, testantur Interpretes. Et de hoc etiam loquitur Deus Isaie 53. dum ait: *Propter scelus populi mei percussit eum, & propter ulcus quod erat in eis, ut ex Hebraeo quidam legunt. Ulcus autem peccatum antiquum est, quod proinde in nobis recte significat peccatum originale, propter quod delendum Filius Dei venit in mundum.* Unde Joann. 1. de Christo dicitur: *Ecco Agnus Dei, ecce qui tollis peccatum mundi.* Quod exponens Glossa ordinaria, desumpta ex Beda, ait: *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi.* Nec obstat quod in aliquibus versionibus legatur in plurali, *peccata mundi*, nam peccatum originale, cum virtualiter multiplex sit, & radix aliorum peccatorum, potest in plurali vocari peccata, ut patet ex Psalm. 50. ubi Propheta Regius ait, *Ecco enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi peccatum originale, quod a matre acceperat, vocat iniquitates, & peccata, quia omnia alia peccata, quae per totam vitam perpetraverat, in illo virtualiter continebantur, & ab illo ut a causa & radice pullulabant.

Probatur secundo conclusio: Deus statuit in tempore carne sumere, ut totam naturam quae in Adamo peccata restauraret: At est nullum aliud praeter originale peccatum fuisse, tota natura eodem modo percussit, & a jure gloriae caelestis excidisset: Ergo ad eam sublevandam Christus venisset. Major constat ex supra dictis: Minor etiam videtur certa, peccatum enim originale est peccatum totius naturae, & inficit omnes homines, ex Adamo per seminalem propagationem descendentes, atque illis claudit januam regni caelestis, ut in Tractu de peccatis disp. 7. art. 4. ostendimus: Ergo est nullum aliud praeter originale peccatum fuisse, totum genus humanum percussit, & a jure gloriae caelestis excidisset.

Dico secundo: Solis peccatis actualibus existentibus, non venisset Christus, ex vi praesentis decreti.

Conclusio haec constat ex dictis in praecedenti, si enim liberatio a peccato originali sit primum & principale motivum Incarnationis, eo non existente, Christus non venisset, ex vi praesentis decreti; cessante enim fine primario & principali alicujus operationis, ipsa operatio cessat.

Confirmatur primo: Una ex rationibus, quae juxta SS. Patres specialiter Deum moverunt, ut potius homini, quam Angelo peccanti, per Incarnationem subveniret, fuit quia per peccatum primi hominis tota natura peccata, & a jure gloriae caelestis exciderat: peccatum vero Angelorum solis Angelis peccantibus, non vero toti naturae angelicae detrimentum attulerat: Sed haec ratio cessaret, desistente peccato originali: Ergo illo non existente, Verbum Divinum non venisset.

Confirmatur secundo: Ex vi decreti praesentis, Verbum Divinum venit in carne passibilis & mortalis, ut articulo praecedenti ostendimus: Sed peccato originali non existente, caro non fuisset passibilis & mortalis; nam ut ait Apostolus ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, per peccatum mors:* Ergo peccato originali non existente, non venisset Christus, ex vi praesentis decreti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

78 **O**bjicies primo contra primam conclusionem: Deficiente integra ratione motiva divina voluntatis & decreti, debet etiam cessare effectus qui ex illo consequitur. Atqui non existentibus peccatis actualibus, deficeret ratio totalis, quae Deum movit ad decernendam Incarnationem: Ergo illis sublati, & solo originali existente, Christus non venisset, ex vi praesentis decreti. Major constat, Minor probatur. Tale motivum Incarnationis ab aeterno decreto, fuit liberatio hominum ab omni peccato, tam originali, quam actuali; ut enim dicebamus initio huius articuli, Christus venit non solum ad delendum peccatum originale, sed etiam ad tollenda peccata actualia: Ergo liberatio a solo peccato originali, non fuit integrum & totale motivum Incarnationis, atque adeo ipso solo existente, deficeret ratio totalis quae Deum movit ad mittendum Filium suum in mundum.

Confirmatur: Omnia peccata actualia in genere causae materialis destruenda, praevia fuere ante decretum Incarnationis: Ergo simul cum originali composuerunt totalem integram causam seu rationem motivam decreti Incarnationis.

80 Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, distingo Antecedens. Totale motivum decreti Incarnationis fuit liberatio non solum a peccato originali, sed etiam a peccatis actualibus, prout ad originale tanquam ad fontem & radicem reducebantur, concedo Antecedens: a peccatis actualibus scilicet consideratis & independentibus ab originali, nego Antecedens, & Consequentiam. Dicimus ergo totale quidem & sufficiens motivum Incarnationis, fuisse reparationem totius nature peccato originali infecta, sed quia Christus innumera diluit crimina, quae ex illo peccato ex radice procedebant, veluti consequenter & secundario, ad satisfaciendum etiam pro illis Incarnatio Verbi Divini ordinata est. Unde dici potest, liberationem ab originali peccato fuisse totalem rationem motivam Incarnationis; liberationem vero a peccatis actualibus, fuisse illius causam quodammodo impulsivam. Exemplum est in Samuele, qui ex speciali Dei iussu venit Bethlehem ad ungendum David in Regem, tanquam propter finem primarium ac precipuum, quo dempto non venisset; habuit tamen aliud motivum impulsivum, scilicet offerendi Deo sacrificium, ut colligitur ex primi Regum 16. Aliud exemplum est in Medico, qui ad suum amicum alicujus negotii pertectandi causa venire disponens, & ter aggreddens audit filium ejus gravi aliquo morbo detineri, & ideo promptiori animo ad amicum pergit, ut ejus filium videret, & curet, ejus causa enim motiva sine qua non conveniret amicum, est negotium pertectandum; at vero causa impulsiva est curatio filii, sine qua absolute amicum conveniret, sed non cum eadem animi promptitudine.

81 Ad confirmationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam, quia, ut jam diximus, liberatio hominum a peccatis actualibus, non pertinebat per se & primario ad motivum Incarnationis, sed tantum secundario & ex consequenti, in quantum hujusmodi peccata reducebantur ad originale, a quo tanquam radice pullulabant. Unde falsum est quod ex peccato originali & actuali compositum fuerit totale & adequatum motivum decreti Incarnationis: motivum enim primarium & principale illius, fuit delectio peccati originali; secundarium vero & minus principale, redemptio seu liberatio a peccatis actualibus.

82 Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Christus venisset in mundum, etiam si non omnes homines, sed unus solum homo peccasset: Ergo potiori jure venisset, si essent plurium hominum peccata, quamvis non esset in illis peccatum originale. Consequentia patet, Antecedens vero est D. Chrysostomi hom. 3. in Acta Apost. ubi explicans illa verba: *adoravit eis fratres*, sic ait: *Unius anima peccatis tantam habet salutem, uti nulla ratio posse affirmare, etenim si unus anima salus tantum est, ut ab hac Filium Dei fieri homo, tanquam pariter, &c.* Quibus verbis clare docet, propter peccatum unum unius hominis, venturum Christum, etiam si alia futura non essent.

Respondeo, negando Antecedens, & ad illius probationem dico, Chrysostomum verbis illis solum intendere, misericordiam & amorem Christi erga singulos homines commendare; ratione enim ista affectus erat, ut etiam pro uno peccatore redimendo si Deus ita decrevisset, libenter vitam & sanguinem effudisset, sed hoc non ostendit, quod ex vi praesentis decreti, pro uno solo peccatore Christus venisset.

DISPUTATIO VI.

De quidditate Incarnationis.

Ad questionem 2. Divi Thomae.

Explicata possibilitate, convenientia, & necessitate Incarnationis, & demonstrato sine praecipuo & primario propter quem facta est, consequens est ut de ejus quidditate & essentia differamus, modumque quo unio hypostatica facta est, declaramus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum unio Verbi Incarnati sit facta in natura, vel in persona.

Diximus in disputatione praecedenti, circa verbi Divini Incarnationem, & modum quo unio Verbi Divini cum humanitate in Christo facta est, duos olim fuisse errores omnino oppositos. Primus fuit Nestorii, Patriarchae Constantinopolitani, qui negabat unionem naturae humane & divinae in Christo fuisse factam in persona, sive ex hac unione resultasse unam personam, quae simul esset Deus & homo; sed dicebat Christum esse personam creatam, atque purum hominem, cui erat verbum Divinum unicum unione accidentali. Primo secundum inhabitationem, in quantum scilicet Divinum Verbum habita-

vit in illo, sicut in templo, specialiori modo quam in aliis justis. Secundo per unitatem seu conformitatem affectus, in quantum voluntas illius hominis erat semper conformis voluntati Verbi Divini. Tertio secundum operationem, quia dicebat hominem illum fuisse Divini Verbi instrumentum. Quarto secundum dignitatem honoris, prout scilicet omnis honor qui exhibetur Filio Dei, coexhibebatur filio hominis, propter conjunctionem ad Filium Dei. Hinc Christum, non Deum, sed Deiserum esse dicebat & Beatam Virginem, non *Deivirginem*, id est Deiparam, sed *Christovirginem*, hoc est Christiparam, appellabat. Hinc etiam negabat has locutiones, *Deus est passus, Deus est mortuus, &c.* quas Catholici admittunt, propter communicationem idiomatum.

Secundus error fuit Eutycheis, Dioscori, & aliorum, qui ut unitatem personae contra Nestorium ferventer in Christo, dixerunt in eo esse unam tantam naturam; ita quod quamvis ante unionem essent duae naturae distinctae, divina & humana, in unione tamen coelevant in unam naturam, & sic dicebant Christi personam esse duas naturas esse, non autem in duabus naturis subsistere. Illud tamen observandum est, Eutychem in hoc discrepasse a Dioscoro, quod dixerit in Christo unam esse naturam, scilicet divinam, per conversionem naturae humane in illam: Dioscorus vero, & alii Eutycheis Discipuli crederent ex divinitate & humanitate, tanquam ex partibus, factam fuisse unam naturam completam, partim divinam, partim humanam, nimis litteraliter usurpantes exemplum S. Athanasii suo Symbolo dicentis: *Sicut anima rationalis & caro unum est homo; ita Deus & homo unum est Christus.* Hunc modum dicendi sequuntur Armeni, D. Leoni infensissimi, quem in suis sacrificiis anathematizare solent, eo quod errorem illum damnaverat.

§. I.

Uterque error prohibetur, & veritas Catholica stabilitur.

Dico primo: unio Verbi Divini cum humanitate in Christo, non est facta in natura, ac proinde necessario asserendum est, Christum duabus consistere naturis, divina scilicet & humana, in eadem persona Verbi Divini.

Conclusio est certa de fide, ac definita in pluribus Conciliis, praecipue in Chalcedonensi actione 1. & 5. in quinta Synodo actione 1. & in sexta act. 11. 13. & 18. & tandem in Lateranensi cap. *firmiter*, colligiturque manifeste ex variis locis Scripturae, ubi Christus versus Deus & verus homo dicitur; non potest enim sic denominari, nisi divina & humana natura.

Ratio etiam suffragatur, nam ut dixerit D. Thomas hic art. 1. tribus modis contingit fieri aliquid unum ex duobus aut pluribus: Primo ex duobus integris, perfectis remanentibus, vel sine ullo ordine unitis, ut ex pluribus lapidibus fit aedivus; vel aliquo ordine unitis & dispositis, ut ex lapidibus & lignis, secundum aliquem ordinem dispositis, fit domus. Secundo fit unum ex duobus perfectis, sed transfusatis, sicut ex elementis fit mixtum. Tertio fit unum aliquibus non permixtis, vel permixtis, sed imperfectis, ut ex anima & corpore fit homo: At nullo ex his tribus modis dici potest, divinam naturam & humanam concurrere in Christo ad constitutionem unius naturae: Ergo dicendum est, unionem Verbi Divini cum humanitate non esse factam in natura. Major patet a sufficienti enumeratione modorum, quibus contingit fieri aliquid unum ex duobus, vel pluribus. Minor etiam quoad primam partem manifestata est, quia modus ille dicendi potius pertinet videtur ad errorem Nestorii, & aliorum asserentium unionem hanc esse accidentalem duarum personarum, quam eorum qui dicunt unionem factam esse in natura; quando enim duae naturae complete ununtur solum per modum dispositionis & ordinis, aut simili alio modo, uno est accidentaliter, & natura istae trahuntur secundum sua supposita, ut patet in compositione domus, exercitius, &c.

Quoad secundam vero partem probatur, tum quia natura divina transfusari nequit aut corrumpi, cum sit omnino immutabilis & incorruptibilis; tum etiam quia quando aliqua plurimum distant, ita ut unum in virtute potentius sit alio, non potest fieri ex illis mixtio, quia per illud potentius aliud confumitur, ut patet cum per aquam amplexor vini apponitur: unde si per transfusionem divina & humana natura in Christo unirentur, quia natura, quae potentissima est, converteretur in se humanam. Addit S. Doctor, quod si hoc modo divina & humana natura in Christo unirentur, Christus non esset ejusdem naturae cum Patre, nec cum Matre: id enim quod est commixtum, cum malo miscibilium est idem specie, differt enim specie caro a quolibet elementorum.

Denique Minor quoad tertiam partem suadet, tum quia utraque natura in Christo secundum suam rationem perfe-

perfecta & completa remansit: tum etiam, quia Deitas non potest esse forma alicujus, praesertim corporei.

8 Dico secundo, Unio Verbi Divini cum humanitate, facta est in persona.

Hae etiam conclusio est certa de fide, & definita in variis Conciliis contra Nestorium: praesertim in Ephesino, in quo propter oppositum errorem Nestorius a Patriarchatu Constantinopolitano depositus est: in Chalcedonensi actione 7. & in sexta Synodo Generali actione 4. Colligitur etiam ex Symbolo Athanasii, ubi Christus innot dicitur, *non confessione substantiae, sed unitate personae*. Item in Pontificali Romano consecrandus in Episcopum interrogatur: *Credis, Filium Dei Christum in duabus naturis subsistere?* Et respondet, *Credo: ut hac professione fidei, erroris Eutycheis, qui unicum in Christo naturam, & Nestorii, qui duas in eo personas credebat, abrenunciet.*

6 Probatur etiam conclusio ratione D. Thomae: Secundum fidem Catholicam natura humana per mysterium Incarnationis vere & realiter fuit unio Verbi Divini: Sed illa unio non fuit in natura, ut contra Eutychem ostendimus. Ergo necessario fuit in persona tanquam in termino unionis. Consequentia patet, nulla enim potest intelligi unio Verbi, nisi vel in natura, vel in persona: unio enim secundum affectum, vel secundum aliquam extrinsecam gratiam, personae amate collatae, qualem solum in Christo admittebat Nestorius; tres personas Sanctissimae Trinitatis aequaliter respicit, quia opera ad extra sunt toti Trinitati communia.

7 Confirmatur: Per mysterium Incarnationis Deus & homo de se invicem praeiudicant: illa enim propositiones, *Deus est homo, & homo est Deus*, verissima sunt & Catholice: Ergo per Incarnationem divina & humana natura unite fuerunt in unico supposito Verbi Divini. Consequentia patet, nam duae naturae non possunt in concreto de se invicem praeiudicari, nisi ratione unitatis suppositi in quo conveniunt: idcirco enim haec propositio est vera, *albus est dulcis*, quia albedo & dulcedo ununtur in eodem supposito.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8 Obijcies primo contra primam conclusionem auctoritatem D. Cyrilli, qui refertur in Concilio Chalcedonensi actione 1. *Non oportet intelligere duas naturas; sed unam naturam Verbi Dei incarnatam.* Ergo unio naturae humanae ad Verbum est facta in natura.

9 Respondeo cum D. Thoma hic art. 1. ad 1. auctoritatem illam Cyrilli exponi in 3. Synodo generali act. 5. his verbis: *si quis naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat sicut Patres docuerunt, quia ex divina natura & humana unio est secundum substantiam facta, sed ex talibus vocibus, naturam unam sive substantiam divinitatis & carnis Christi introducere conetur, talis Arianismus fit.* Non est ergo sensus, quod ex duabus naturis fit una natura constituta, sed quod natura Verbi carnis sibi univit in persona, Nestorius autem cur D. Cyrillus ita locutus sit, fuit haereticus Nestorii, qui contendebat in Christo esse duas naturas completas, suas proprias afferentes subsistentias, & consequenter duas personas: unde merito negat in Christo esse duas naturas in illo sensu, & asserit esse unam naturam, non unitate essentiali, sed personali.

10 Obijcies secundo: Athanasius dicit in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unum est homo; ita Deus & homo unum est Christus.* Sed anima & caro constitunt unam integram hominis naturam: Ergo similiter Deus & homo efficiunt unam Christi naturam.

11 Respondeo in exemplis quibus hoc mysterium explicatur, non esse querendum perfectam quoad omnia similitudinem, alias non esset singularare, ut Augustinus dicit Epist. 3. ad Volusianum. Unde in exemplo ad Athanasio adducto, non est similitudo quantum ad omnia, sed solum quoad hoc, quod sicut corpus & anima, quamvis diversa sint natura, in una persona conveniunt; ita divina & humana natura, quamvis distinctae sint, in una persona copulantur. Tenet etiam similitudo quoad hoc, quod sicut corpus trahitur ad esse animae, ita humanitas ad esse Verbi divini, licet alias non conveniant in eo quod sicut ex anima & corpore resultat una natura, ita etiam ex humanitate & deitate. Unde Augustinus Epistola citata: *Sicut in unitate persona anima unius corpori, ut homo fit, ita in unitate persona Deus unius homini, ut Christus fit.*

12 Obijcies tertio: In Scriptura unum fieri aliud, est unum in aliud converti, ut patet ex illo Joann. 2. *Ut autem gustavit Archireus aquam vinum factam, id est aquam in vinum convertam.* Sed Joann. 1. dicitur: *Verbum caro factum est:* Ergo in mysterio Incarnationis natura divina in carnem conversa est.

13 Confirmatur: Apud SS. Patres, Verbum factum est caro, ad eum modum quo in Eucharistia panis fit corpus

Christi. Ita Justinus Martyr. Apolog. Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 4. Cyprianus in serm. de Cena Domini, Damascenus lib. 4. de fide c. 14. Sed panis transfunditur in corpus Christi, ita ut post consecrationem non remaneat amplius panis substantia: Ergo similiter Verbum dicitur factum caro, quia ejus substantia est conversa in carnem.

Ad objectionem respondeo, quod licet aliquando in 14 Scriptura unum aliud fieri, significet unum in aliud converti, ut in testimonio adducto de aqua vinum facta; pluries tamen non hoc modo sumitur, sed significat acquisitionem alicujus novae formae, vel esse, ut patet ex illo Genes. *Homo factus est in animam viventem*, & ex illo Pauli ad Hebraeos 6. *Jesus pontifex factus*. Quibus locis certum est, ly *fieri*, non importare conversionem, sed acquisitionem; & hoc modo sumitur in dicto testimonio, *Unum caro factum est*. Dicitur enim Verbum factum caro, non quia sit conversum in carnem, sed quia assumptum carnem.

Ad confirmationem dicendum: comparationem illam SS. Patrum in hoc solum esse positam, quod sicut Divinum Verbum veram carnem & sanguinem habuit; ita sub speciebus panis & vini post consecrationem est vera caro & sanguis Christi.

Obijcies quarto contra secundam conclusionem: Terminus actionis non potest esse ante actionem: Sed persona Verbi Divini erat ante actionem univiam humanitatis: Ergo persona Verbi divini non potuit esse terminus hujus actionis, & consequenter unio humanitatis ad Verbum non potuit esse facta in persona.

Respondeo cum D. Thoma qq. unica de unione Verbi art. 1. ad 5. quod unio non intelligitur terminari ad personam divinam, secundum quod est in se ab eterno una, sed secundum quod est unita humanae naturae in tempore; & ita unio secundum nostrum modum intelligendi praecedat personam Verbi Divini, non prout est una, sed prout unita humanae naturae. Unde in forma respondeo distinguendo Majorem: Terminus actionis formaliter sumptus non potest esse ante actionem, concedo Majorem. Terminus actionis materialiter sumptus, nego Majorem. Similiter distingo Minorem. Persona Verbi erat ante unionem, ut una, & materialiter, concedo Minorem. Ut unita, & formaliter, nego Minorem & Consequentiam.

Obijcies ultimo: Ubi sunt duae generationes, ibi debent esse duae personae: Sed in Christo sunt duae generationes; una ante saecula ex Patre, & alia in plenitudine temporum ex B. Virgine: ergo in illo sunt duae personae; & consequenter unio humanitatis ad Verbum non est facta in persona. Major probatur: Omnis generatio terminatur ad suppositum, vel personam: Ergo duplex generatio, ad duplex suppositum, seu personam terminari debet.

Respondeo negando Majorem, ad probationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam: unum enim & idem suppositum, ratione duplicis naturae, potest terminare duplicem generationem; nam licet suppositum terminet generationem, non licet licet suppositum terminet generationem ut quod, tamen ipsa natura terminat ut quo, & per modum termini formalis & specificativi; unde ad terminandam diversam generationem sufficit distinctio realis naturae, cum distinctio virtuali suppositi, qualis reperitur in Christo, in quo natura divina & humana subsistunt per subsistentiam Verbi: quare eadem persona Verbi, quatenus suppositum divinam, & prout subsistit in natura divina, secundum quam est simile Patri eterno, terminat generationem aeternam; in quantum vero est suppositum humanam, & subsistit in natura humana, secundum quam assimilatur matri, terminat generationem temporalem Beatissimae Virginis.

§. III.

Corollarium praecedentis doctrinae.

EX dictis inferes, unionem humanitatis ad Verbum non posse dici accidentalem praeiudicamentaliter, aut praeiudicabiliter.

Prima pars patet: Nam uniri accidentaliter, est quod medium unionis, & in quo fit unio, sit accidens: At id in quo facta est unio duarum naturarum in Christo, non est accidens praeiudicamentale, sed substantia; est enim facta in persona, ut ostendimus; persona autem non est accidens, sed substantia: Ergo unio humanitatis ad Verbum non potest dici accidentaliter praeiudicamentaliter. Unde in Concilio Ephesino can. 13. dicitur: *Ex virgine natum est sacrum corpus, cui substantialiter unicum est Dei Verbum.* Et in 5. Synodo generali act. 5. can. 4. *Qui non confitentur Filium Dei, carni substantialiter uniri, anathema sit.*

Secunda pars est contra Durandum in 3. dist. 6. q. 4. ubi est cum Catholicis sentiat unionem humanitatis ad Verbum non esse in accidente factam, sed in persona; docet tamen posse dici humanitatem accidentaliter Verbo advenisse, hoc est accidentaliter praeiudicabiliter; cuius sententiam approbasse videtur Paludanus in eadem dist. q. 1. art. 1. Vera tamen & communis Theologorum sententia asserit,